

83.
ORATIO PANEGYRICA
Q V A
OMNIVM SERENISSIMO, POTENTISSIMO
INVICTISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO



ELECTO ROMANORVM
IMPERATORI

PIO, FELICI AC SEMPER AVGVSTO
GERMANIAE, HVNGARIAE, BOHEMIAE, DALMATIAE
CROATIAE, SCLAVONIAE, BVLGARIAE, BOSNIAE
SERVIAE, ET RASCIAE REGI, ARCHIDVCI AVSTRIAEC
DVCI BVRGVNDIAE, BRABANTIAE, STYRIAEC
CARINTHIAE, CARNIOLAE, LYZELBVRGI,
WIRTEMBERGIAE, VTRIVSQVE SILESIAE, PRINCIP
SVEVIAE, MARGGRAVIO SACRI ROMANI IMPERII
BVRGAVIAE IN MORAVIA, VTRIVSQVE LVSATIAE
PRINCIP COMITI HABSBVRGI, TYROLIS
PFIRETARVM, KYBVRGI ET GORITIAE, LANDGRA
VIO ALSATIAE, DOMINO VINIDORVM MARCHIAE
PORTENAVIAE AC SALINARVM, ET RELIQUA

IMPERATORI AC DOMINO SVO
LONGE CLEMENTISSIMO

DE SVSCEPTIS

SACRI ROMANI IMPERII
FASCIBVS AC HONORIBVS

DIE III CALENDARVM SEPTEMBRIS, M DCC V

IN ACADEMIA IENENSI

DEVOTISSIME DEMISSISSIMEQUE GRATVLABATVR

CAROLVS SIGISMUNDVS ROSTIVS, NORIMBERGENSIS.



IENAE, LITERIS IOH. DAV. WERTHERI, TTOPOGR. DUCAL. SAX.

ORATIO PANEGYRICA

OMNIVM SERMONIBVS POTISSIMO

MICROSCOPIAE

PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO



ELATO ROMANORVM
IMPERATORI

PRO FESTI AC SEMPER VICTORI

CEREMONIAE ET CEREMONIAE SOTERIAE, MUSICA

CROATIAE, GAVONATI, VENDETTA, TURCICAE, TURCICAE

SEWACI, VENDETTA, VENDETTA, VENDETTA, TURCICAE

DACI, VENDETTA, VENDETTA, TURCICAE, TURCICAE

CAUCASI, VENDETTA, VENDETTA, TURCICAE, TURCICAE

MUSICA, VENDETTA, VENDETTA, TURCICAE, TURCICAE

SACRAE, MUSICA, MUSICA, MUSICA, MUSICA

BALGAVAE IN TURCIA, TURCIA, TURCIA, TURCIA

PRINCIPALIS COITI, HABENDA, HABENDA, HABENDA

PREFECTUS, HABENDA, HABENDA, HABENDA

AUDIENS, HABENDA, HABENDA, HABENDA

GREGORIANAE, AG, SVI, SVI, SVI

IMPERATORI AC DOMINO ZA

TONI, CLEMENSIMO

SACRI ROMANI IMPERII

FISCIBVS AC HONORIBVS

PROLICE, PROLICE, PROLICE, PROLICE

PROLICE, PROLICE, PROLICE, PROLICE

PROLICE, PROLICE, PROLICE, PROLICE

II n
2212



SERENISSIME PRINCEPS
DOMINE CLEMENTISSIME
PRORECTOR MAGNIFICE
ILLVSTRISSIMI COMITES
PROCERES AVLAE ATQVE ACADEMIAE
EXCELLENTISSIMI
OMNIVM ORDINVM LECTISSIMI ET
HONORATISSIMI VIRI
TVQVE GENEROSAE AC ORNATISSIMAE IVVENTVTIS
CORONA



vod secundis hucusque rumoribus
toto orbe percrebuit, MAGNI,
dum viueret, L E O P O L D I
maximus F I L I V S, idem nuper
cœloque proximum dignitatis fa-
sti-

stigium occupauit. O rem non hoc solum, quo
accidit, tempore, sed in perpetuum imperio lætam,
ac Dei unius bonitati & clementiæ incredibili tri-
buendam ! Quicunque nostrum hoc patriæ bo-
no lætantur, creatum recens IMPERATOREM,
haud secus, quam quendam Germaniæ solem exci-
piunt, circumfusas vndique a gloriosissimi PA-
RENTIS occasu tenebras, ortu suo, atque æmula
paternis radiis luce dissipantem. Erepto nupe-
rius LEOPOLDO, Austriaci omnes, omnes Ger-
mani, Bohemi omnes & Vngari, & quicquid lon-
ge lateque Austriacis paret, orbitatis suæ sensu
affligebantur. JOSEPHVS autem, ne quis per
tot prouincias pupillus existeret, honoris sui
auspicio fecit, quando eodem, quo LEOPOL-
DVS desierat, die, PATER PATRIAE, & esse, &
salutari incepit. Quod tanto quidem præclarious
diuinæ prouidentiæ munus est, quanto difficilius
videbatur, ex hoc bellorum turbine, ex his tri-
stissimorum temporum fluctibus, illustrissimum
licet JOSEPHI splendorem, tam celeriter, tamque
auspicato eluctaturum. Horrent aduersantium
animi, & successionis subitæ nuncio, tanquam se-
reni fulminis iætu perculti, a perniciiosis consiliis
ad pauorem, aque nouis tumultibus ad summam
sollicitudinem traducuntur. Nobis contra totius
Germaniæ, imo omnis fere Europæ, ac orbis
totius desideria, in JOSEPHO expleri, finirique
creduntur.

Habemus profecto, cur immortali Numini,
mortaliū fata gubernanti, & Austriacorum præ-
ci-

cipue Principum , qui nulos haberent hostes, nisi haberent pietas ac iustitia, causam agenti, quantas maximas possumus , gratias decernamus. Quum post AVRELIANI , herois fortissimi obitum , ad nouum eligendum Imperatorem , ordo Senatorum amplissimus, in Pompliana, quam appellabant, curia consedisset, TACITO omnes AVGVSTO applaudebant, neque melius quemquam PRINCIPE, qui singulari virtute, ac memorabili in omne æuum doctrina, exterorum non minus , quam ciuium admirationem hactenus concitasset, imperii habendas moderaturum , lætis omnes suffragiis testabantur. Pari modo ad IOSEPHI auspicia, faustis ominibus atque plausibus cuncta implentur, omnes exuberantis atque foras emicantis lætitiae vim , ore , oculis , manibus, declarare conantur , omnes IPSVM , non vt vnum ex Imperatoribus , sed vt DEVVM aliquem, cœlo demissum , æternumque reipublicæ ac dignitatis Germanicæ fulcrum, intuentur , omnium denique gaudium, veneratioque & amor , hac maiestatis IOSEPHI atque honoris accessione augetur.

Sicut vero exoptata & læta est omnibus noui IMPERATORIS creatio : ita vix vllis, si a VIENNA discedimus, exoptatior aut lætior accidit , quam quos patria mea NORIBERGA sinu suo complectitur. Fas enim omnino est , vt in communi omnium gratulacione ac plausu , illius CIVITATIS emineat

B

gau-

gaudium , quæ & plura IOSEPHI numerat
beneficia , & proprius insuper diuinas in IPSO
corporis atque animi dotes inspexit . Post-
quam igitur sapienti PROCERVM NORIMBER-
GENSIVM instituto , illustris ALTORFENSIVM
academia suam nuperius pietatem hilaritatem-
que testata est ; nunc me etiam , in eadem
REPVBBLICA natum & educatum , illi , quo-
rum plurimum semper apud me valuit , &
adhuc valet auctoritas , in hoc vicino IE-
NENSIVM ATHENAEO , prodire iusserunt,
eiusdem lætitiae atque amoris magnitudinem
pro virili declaraturum.

Nihil quidem illorum detrahám laudibus,
qui erigendas nouo CAESARI aras , ut olim
AVGVSTO ; vel excitandas statuas , ut TRA-
IANO , vel flectendos arcus , vt CONSTANTI-
NO , suscipiunt . Verum hæc aliaque , tanto
minus a me exigit Imperator , quanto magis
omnem illum splendorem ac pompam vir-
tutum suarum luce obscurat . Quodsi
AVGVSTISSIMVS CAESARVM ingressurus
esset hoc templum , non imaginibus mortuis ,
sed AVDITORVM ILLVSTRIVM corona orna-
tum , neque breui duraturis inscriptionibus ,
sed æternis deuotorum pectorum precibus
animatum ; certe vnicum hoc spectaculum
plus haberet roboris in IOSEPHO , quam
omnes omnium statuarum artifices omni-
bus votis consequerentur .

Et

Et quamuis ad huiusmodi quoque pietatis officia nihil ante me intermiserint alii , quod vel ad festiuitatem publicam l̄etum , vel ad summi CAESARIS laudem magnificentem esse queat ; non grauabitur tamen , eadem a multis accipere , quæ idem in pluribus venerationis consensus expressit . Vtinam vero , quantum mihi est religionis ac gaudii , tantum etiam es- set eloquentiæ ac doctrinæ , nec tam infantiæ meæ conscientia , quam audientium dignitas , & argumenti maiestas , me a dicendo abducerent , & sacro quodam horrore percelle-rent ! Duo interim sunt , quæ me dubium ac trepidantem confirmant : quod non proprio audaciæ motu , sed meorum iusibus , ad di-cendum accesserim ; quodque vitio mihi ver-ti non posit , si IOSEPHI haud assequar laudes , quibus nemo , quamvis ipso Tullio doctior & facundior , parem , non dicam orationem , sed ne cogitationem quidem , re-periet . Dicam igitur , Vestra , AVDITORES SPLENDIDISSIIMI , venia , quia dicendum est , atque ita dicam , vt salutatum feliciter IMPE-RATOREM IOSEPHVM , quem ipse laudare & admirari satis non possum , admirandum aliis laudandumque proponam .

Videmus , inquam , IOSEPHVM , l̄etis nuper auspiciis IMPERATORIS nomine salu-tatum ! Hæc tam pauca verba , dici non pot-est , quantam rerum copiam , quamque ubi-

uberem gaudendi & gratulandi materiam complecantur. Annon enim ipsa IOSEPHI appellatio? annon salutatio IMPERATORIS? annon eadem salutatio ex voto peracta, ita intra eorum ambitum continentur, tamque multa in ipsis congregantur, quæ distinctius clariusque percepta, & gratis agnoscere animis, & latè vocibus confiteri fas erit? Dum enim IOSEPHVM cogitamus & dicimus, fieri profecto non potest, quin summa atque inusitata omnia omnes concipient, quibus IPSE, in quoouis genere laudis, supra huius seculi captum, & supra maximorum heroum exempla, ita eminet, ut non magis IMPERATOR, quam Numen quoddam Imperatorum existat.

Nunquam certe latere potuit incredibilis illa, cumque paterno sanguine in IPSVM transfusa, ingenii ac memoriæ vis, & iudicandi solertia: quæ ne incultu torpesceret, aut vicio ætatis extingueretur; nihil antiquius habuit sapientissimus PARENTES, quam ut dignis tanto PRINCIPE studiis ad illa mentis præsidia atque ornamenta instrueretur, quæ iam impetus aliquos a natura sumebant. PHILIPPVM MACEDONEM, legimus, hoc in more positum tenerioribus adhuc annis habuisse, vt nocte stellas, quas vocant, desilientes, sagittis incesseret: quo agnito, DIOGNETVS vates, summa EVM virtute Principem, multarumque gen-

gentium dominum aliquando futurum, haud imprudenter coniecerit. Quid de IOSEPHO dicemus? a primis inde ætatis initiis, non tam MAGISTRORVM instinctu, quam naturæ propriæ motu, generosum & capacissimum animum ad scientias Regias, atque ad summa omnia applicante? Ita quippe tunc temporis moderatorum monita sequebatur, ut mox eorum sc DVCEM ac IMPERATOREM futurum ostenderet: atque ea tractabat ADOLESCENS, quæ prouectioribus annis ingens decus atque præsidium foenerarentur. Quibus in rebus eo feliciora quotidie incrementa capiebat, quo propiori AVGVSTISSIMI PARENTIS adspectu, ipsius veluti lumen hauriebat. Ex EIVS enim oraculis sapientior, ex institutis prudentior, ex virtute præstantior, ex victoriis fortior euadebat.

Magnam illam VINDOBONENSIVM vrbem vel eo nomine fortunatam dicimus, atque ante alias vrbes habemus, quod perpetuus eam summorum PRINCIPVM, & generosæ prosperitatiæ, ex toto terrarum orbe, conuentus nobilitet. Quem ergo ad modum, qui in sole ambulant, tanquam aliud agentes ac inscii, colorantur: ita IOSEPHVS a tantorum VIRORVM conversatione atque alloquiis, non potuit non munitum virtute ac sapientia petitus referre. Neque mirandum igitur est, in primo statim ætatis flore maturitatem quan-

C dam

dam virtutis emicuisse , atque ibi constitisse
ADOLESCENTEM IOSEPHVM , quo vix
vltimæ senectutis vota adspirant , nunc au-
tem incertum relinqui , vtrum magis IPSVM
ob dignitatem suspiciant ciues , an ob animi
magnitudinem venerentur. Quamobrem de
futura eius felicitate eo omnes certiora con-
iicimus , quod non speramus amplius ipsius
virtutes , sed iam cognitas admiramur.

In his bonitas , humanique generis cura,
vel ideo primo a nobis loco habetur , quod
nulla re proprius PRINCIPES ad immortalem
DEVM accedant. Cuius in IOSEPHO
virtutis imaginem si intueri coram & admirari
liceret ; procul dubio ingens quoddam
atque altissimum flumen se nobis obiiceret ,
variis beneficiorum nominibus vndi-
quaque diffusum. Evidem sicut no-
stram Germaniam , & matrem suam germa-
nam nuncupat , & fortunarum atque Imperii
sedem agnoscit : ita suam hanc pa-
triam , præ ceteris regionibus , instar alicuius
Vlyssis , in oculis inque animo ferre consue-
vit. Eant Codri ac Decii , eant Curtii , &
duo fratres Philæni , seque felices glorientur , si
pro felicitate publica moriantur ! Par omni-
no inæstimabilis erga patriam pietatis amoris-
que exemplum in IOSEPHO habemus , præ-
sentissimum non raro periculum , vitæ suæ
periculo a Germanorum ceruicibus depellente.

Quod

Quod enim nos, inter aliorum tempestates
atque naufragia, adhuc sospites & quieti aga-
mus ; id, si a DEO abimus , auspicatis
IPSIVS præliis ac triumphis debemus.

Neque vero in bello solum , conserua-
torem se patriæ atque vindicem demonstra-
vit ; sed domi pariter , omnia cogitata sua
IOSEPHVS ad tranquillitatem incolumita-
temque Imperii, tanquam ad salutarem por-
tum direxit. Sublato nuperius **LEOPOL-**
DO, ne vel improborum , vt solet , studiis,
vel inuidorum conatibus , vel nouis Ger-
maniæ motibus locus esset ; mature **NOSTER**
& quam ocissime , ad **ELECTORES** singulos sin-
gulas literas perferendas curabat , quibus ad
omnia **LEGIS REGIAE** capita suam pariter at-
que aliorum fidem adstrinxit. Herculis
alicuius institutum hoc dixeris, catena, ut aiunt,
aurea , mortalium inter se animos colligantis.
Sicut enim firmissimum salutis publicæ ful-
crum in pace statuitur : ita anima pacis
in nostra Germania, sanctionum , quas vo-
cant , Carolinarum auctoritati atque vigo-
ri innititur. Vnum adhuc , ad reddendam
patriæ , post **LEOPOLDI** obitum , vitam,
reliquum esse videbatur , vt comitiatus Imperii ,
& collata inter se **PRINCIPVM CIVITA-**
TVMQVE consilia , sine ulteriori impedimento
& sine mora celebrarentur. Confestim ergo
MAGNATVM CVPIAM, quem eam ad rem cum-
pri-

primis idoneum nouerat , id negotii dabat,
vt in commune consulentium coronæ præses-
set , eque cunctis suffragiis vnam felicitatis pu-
blicæ summam colligeret.

Ita vero, post immortalis PARENTIS obi-
tum, PATREM sc̄ PATRIAE exhibebat IOSE-
PHVS , consulendo liberis , suaque post
illos ponendo. Quis enim pro dignitate
rei eloqui possit , quantum beneficii , quan-
tum præsidii , quantum ornamenti , ciuibus
passim tribuerit ? Omnia iam voce ac
ore loquatur DONAVVERDAE Respublica,
quæ IOSEPHII nuper VICTORIS iussu ac mu-
nere , a dominationis Bauaricæ termino li-
bertatis suæ initium cepit , vt iam antiquo
VVERDAE SVEVICAE nomine gaudeat, pristino
que splendore illustretur. Non magis scilicet
IMPERATOR, quam IOSEPHVS, arbitrandus
est NOSTER, qui a locupletando nomen ac-
cepit. Omnes certe amandos ac iuuandos
constituit , vt vicissim amorem omnium at-
que opem obtineat.

Nec benignitatis solum in socios , sed &
clementiæ in perduelles ac hostes, exemplum fe-
re vnicum subministrat : tamdiu humano
sanguini parcendum existimans , donec salutis
publicæ ratio diuersum persuadeat. Vestram,
seditiosi PANNONES , fidem testamur ! qui
peruersa hactenus libertatis opinione, tanquam
maligni sideris afflatus perculsi, Imperii Austria-
ci

ci patientiam exuere voluistis ! Quis nominari
in tota Hungaria locus potest, qui vel caedibus
vestris funestatus non fuerit, vel vestrorum sedi-
tionibus non concussus ? Quorum vero audaci-
am nulla animadversionum acerbitas castigare
pro merito posse videbatur, illis, ut paulo antea
LEOPOLDVS , ita nuper IOSEPHVS , e-
missis per CARDINALEM COLONVTIVM literis,
gratiam obtulit : nihil pulchrius atque gloriosi-
us ducens, quam impune offendit.

Vobiscum igitur , HVNGARI, quos ex per-
duellibus socios , ex hostibus amicos facere
studet, aget mitius CLEMENTISSIMVS CAE-
SARVM ; nisi quid grauius statuendi neces-
sitatem contumacia vestra imponet. Sicut
enim poenitentibus veniam , ita perseueran-
tibus iustitiam commodabit. Vidistis nouissi-
me infelices BAVAROS , nouarum rerum cupi-
ditate flagrantes, vnamque ad eas viam ratos ,
si ex motibus motus fererent, & perpetuam
materiam igni præberent. Constituebant ita-
que, occultatis hinc inde laruatis militibus, san-
ctam alias comitorum tranquillitatem statu die
violare , inde cædes , rapinas , incendia , perva-
rias Imperii vrbes circumferre. Ipsi ergo re-
suscitabant incendium , quo deinceps flagra-
runt. Quid enim ad ista IOSEPHVS ? De-
tectis mox machinis , capto ex arena consilio,
celeritate incredibili , & , tanquam in exercitu
suo tot Pegasos , quot milites aleret, in turbulen-

D

tam

tam Bauariam contendebat, elusisque adulterinæ
militiæ strophis, mox abducto cum satellitibus
LIEHARIO, capto MONACHIO, impositisque præ-
fidiis, reuixisse in sua virtute RVDOLPHVM
HABSPVRGICVM, demonstrabat, qui de sym-
bolo cogitans, manum quampiam, oliua &
armis instructam, pingi curabat, cuius vim
adiuncta inscriptio: VTRVM LIBET: ingeniose,
atque ad summam Principis laudem de-
clarabat. Ceterum vt consuetum sibi a-
moris ac timoris temperamentum seruaret
IOSEPHVS; ita tractandos, quos vicerat,
eorumque PRINCIPES, imperauit, vt ne ipsi qui-
dem GALLI & BAVARI queri quicquam, nisi de
magnitudine VICTORIS, auderent. Id quod eo
maiori aduersantibus stimulo erit, quo pruden-
tius ille atque rectius sensit, qui, OMNIA
FORTIVM VIRORVM ESSE, pronunciavit.
Quid est enim, quod generoso illo & cupido
salutis publicæ spiritu non sperare posse IO-
SEPHVS? et quid denique, tot summarum
virtutum præfidiis munitus, non consequatur?

Habuerunt iam olim hoc proprium, qui
præcipuam inter IMPERATORES ROMANOS
belli ac fortitudinis gloriam meruerunt, vt ab
vtroque Imperii termino, occasu nimirum ac
ortu, effrenes inimicorum impetus retardarent
atque reprimenterent. IVLIVM fane CAESAREM no-
uimus, quinquagies bis conserta cum hostibus
manu, non in Gallia modo, sed etiam in extre-
mis

mis versus orientem prouinciis , triumphasse .
Pari modo AVGVSTVS , quinque bella ciuilia , du-
o que bella externa finiit , vbi & inquietos Dal-
matiae incolas , & defectionem molituros Hispa-
nos , ad obsequium redire coëgit . Ne de DIO-
CLETIANO & CONSTANTINO , & , qui diu post
istos floruit , CAROLO , memoremus , quorum
prior Dalmatiam , cum Agypto & Gallia , Africa-
que & Persia , debellauit ; duo autem posteriores ,
in variis pariter vtriusque Imperii terris , armo-
rum suorum terrorem circumtulerunt .

Horum & gloriæ & felicitatis vestigia se-
cutus IOSEPHVS , non in oriente solum , fe-
roces & plusquam barbaros TVRCARVM as-
sultus , diuino auspicio , & sua ac LEOPOLDI
virtute , ita cohibuit , vt non ita temere
CANIS ille , de extrahendis AQVILAE pennis ,
cogitaturus sit ; sed & ab occidente , superbas
GALLORVM , sociorumque minas discussit . Si
vlla vnquam est parta victoria , in qua , quid ge-
nerosorum militum virtus , quid fortissimi DV-
CIS prudentia valeat , præclare eluxerit , in ea
certe , qua superioribus annis IOSEPHVS
inuictam de GALLORVM opinione LANDAVII
vrbem oppugnauit & cepit , ita declarata sunt
omnia , vt nunquam præclarus atque illustri-
us declarari posse videantur . Non multo qui-
dem post GALLVS , ingenti militum copia , incre-
dibili item labore atque astutia , hanc vrbem e-
andem , in suum , vt ita dicamus , sterquilinium rur-
sus

sus pertraxit. Verum victrix IOSEPHI AQVILA, ventoso huic GALLO, sede iterum sua depulso, granum istud, quod in sua se denuo potestate habere gloriabatur, strenue, & ad ipso-rum hostium stuporem, extorsit. Quæ tam fausta ac nobilis expugnatio cum aliis passim consecrata est monumentis, tum memorabilis cum primis est nummus, in vicina quadam Imperii vrbe nuperrime cusus, in quo præter IOSEPHI imaginem, occupatum IPSIVS virtute LANDAVIVM, cum apposito lemmate: CEDIT BIS CAESARIS ARMIS: ad omnem posteritatis memoriam, & immortalem VICTORIS augustissimi laudem, repræsentatur. Eandem HEROIS inuitissimi vim non tantum experti sunt BAVARI, apud quos statuta vndique, tot generoforum certaminum, atque ingentium victori-am trophæa, nulla ætas delebit; sed & HISPANI ac ITALI, quos suis similiter ac suorum armis ape-rire incepit, intelligunt iuxta & admirantur.

Ingenita quippe est NOSTRO, aque ipsis MAIORVM seminibus insita, incredibilis ad res præclare gerendas impetus, verique decoris im-mensa cupiditas; neque vlli est dubium, in IOSEPHO non vitam tantum recipere LEOPOLDVM, sed æternitati etiam consecrari. Huius enim sicut virtutem, ita illum virtutis indicem vultum, & diuino radiantes splendore oculos, artificiosa naturæ manus in NOSTRO expressit. AVGVSTVM IMPERATOREM, ac-
ce-

cepimus, facie extitisse tranquilla atque serena, in primis oculos habuisse claros ac nitidos, in quibus existimari voluerit latere quiddam diuini, gauisusque fuerit, si quis ipsi, acrius intuenti, veluti ad fulgorem solis, vultum submitteret. Vtrum ex ARTAXERXIS LONGIMANI oculis talis vigor eluxerit, istorum temporum annales decernant. Illud certum est, eandem hanc maiestatis, ac diuinioris indolis notam, sicut MAXIMO olim LEOPOLDO, ita AVGUSTISSIMO nunc IOSEPHHO inesse, quippe ex cuius oculis tam illustris virtutis radius emicat, cuius fulgore, intuentium animi, extra se veluti, inque IMPERATORIS nostri amorem & cultum rapiuntur.

Cum ingenti adhuc voluptate recurrit illius memoria temporis, quo IOSEPHVS, tum per alias Germaniae vrbes, tum per meam etiam Noribergam, ad nuperiorem triumphum Landauensem iter parabat, cum vnus in se oculos ac vultus conuerteret omnium, illud contemplari palatum cipientium, quod diuina adeo virtus incolebat, quo ea se vultu proderet, quo oculorum lumine, qua totius corporis maiestate, ad sui venerationem atque amorem alios inuitaret. Quae adspiciendi IOSEPHVM, atque cominus admirandi felicitas, quamuis non omnibus Germanis obtigerit; nemo ta-

E

tamen

men adeo peregrinus eorum , quæ in patria nostra sunt gesta , conspicitur , ut coelestia beneficia, in radiantibus ex IOSEPHO virtutibus non agnoscat, cuius certe auspicia tantis nobilitantur conatibus, quantos in aliis vix possumus Imperii finis ostentat.

Sicut proinde IOSEPHVS, omnium mentes & oculos, in usitatarum jam olim dotum admiratione suspendit: ita omnium nuper suffragia, ad obtinendum celsissimæ in orbe terrarum dignitatis fastigium, facile in se vnum deriuauit. Quod tamen haud ita accipi volumus, quasi nihil antea in Imperium potestatis habuerit, quam imperii in se recipere curas, administrare negotia, post Genitoris mortem incepit. Iam enim tum, debitum magnitudini EIVS cultum, successionisque iura agnouimus, cum Augustæ Vindelicorum, AVGVSTISSIMVS GERMANORVM ROMANORVM MQVE REX, ante hos quindecim annos declararetur. Iam tum, inquam, SERENISSIMORVM ELECTORVM virtutem atque prudentiam laudabamus, qui inter hos adversantium motus, de securitate nostra solliciti, in IOSEPHO, tanquam vnico salutis publicæ firmamento, obtutum figebant. Recordabantur nimirum sapientissimi PRINCIPES, ex eo vsqne tempore, quo AVSTRIACI ad fastigium Imperatorum electi sunt, vsque eo GERMANORVM fortunam, reique publicæ maiestatem, cum regimine IPSORVM connexam

xam fuisse , vt ne cogitandum quidem de aliis,
post ALBERTVM HONORIFICVM, successo-
ribus existimaverimus.

Quantis antehac, iam secundæ, iam aduersæ
fortunæ vicibus, quantisque tempestatum pro-
cellis, a suis propemodum incunabilis, agitatum
fuerit ROMANVM IMPERIVM, nemo igno-
rat. Sane vix vitæ suæ mimum absoluerat
augustissimus Imperatorum, AVGVSTVS, cum
respublica, summum hucusque potestatis apicem
consecuta, inclinari illico, inque deterius ire vide-
retur, atque adeo prope absuisset, quin secuto-
rum deinde CAESARVM vitiis ac deliriis, pessum
ivisset; nisi velut ex tenebris emergentes, FLAVII
ac TITI VESPASIANORVM virtutes, obdu-
ctam quasi ærugine, IMPERII gloriam renouas-
sent, pristinoque splendori reddidissent. Qui-
bus sublatis, fluctuare iterum Imperii navis, ac
vacillare incepit; cum salubribus TRAIANI
consiliis, sedaretur tempestas, atque lætior ci-
uibus felicitatis publicæ portus ostenderetur.
Ab HVIVS vero ætate, diu multumque instar
pilæ iactata est, omnibus, quæ pro bono com-
muni sancuerat prudentissimus PRINCI-
PVM, nescio, quo fato, turbatis; donec vindex
ille ac stator iustitiæ, CONSTANTINVS M. ru-
inosum, & mox lapsurum Imperii ædificium
denuo stabiliret. Post CONSTANTINI ex-
cessum, THEODOSIO opus erat, qui ad restau-
randam rempublicam atque ecclesiam, in the-

atrum prodiret. Sed HVIVSETIAM morte, gra-
uiter vulnerata, & velut ægrota respublica,
IVSTINIANI Imperatoris medelam ac salutis
publicæ curam poscebat. Quæ tamen & ipsa
non adeo diu stetit felicitas, quin gradatim
deficere, ac labare inciperet; cum ille orbis ter-
rarum dominor, CAROLVS M. vna cum suc-
cedentibus FILIIIS, pristinum ipsi vigorem ac
robur largiretur. Ex qua tempestate, modo
euectus Germaniæ status, nunc depresso; iam
in summo felicitatis apice positus, mox ruinæ
suæ vicinus, in perpetuum quasi rerum in-
se remeantium orbem agendus videbatur; ni-
si accepisset postea suos CONRADOS atque
HENRICOS; nisi habuisset OTTONES &
FRIDERICOS, qui veterem ipsi gloriam, &
veluti animam reddiderunt.

Ita vero mutata sæpius, & intestinis non
minus motibus, quam exterorum rapinis, ob-
iecta fuit GERMANIA; donec AVSTRIA E
PRINCIPES, iam inde a RVDOLPHO HAB-
SPVRGICO, interrupta licet nonnihil re-
gnantium serie, ab ALBERTO HONORIFI-
CO autem, continuatis in tertium vsque se-
culum imperii fascibus, stabilem eidem fortu-
nam atque quietem attulerunt. De IOSE-
PHO nostro, his suis MAIORIBVS æmulo,
imo merita IPSORVM æquante, non minor
potest effecto omnium gentium spes & expectatio
esse debet. HVNC enim laudati ALBERTI at-
que

que RVDOLPHI trophæa excitant ; HVNC non FERDINANDORVM tantum, sed & LEOPOLDI ipsius gloria vehementer accendit, vt nihil , nisi excelsum , nisi publice vtile , & optimæ laudis spe plenum, vnde vera petantur ornamenta, suscipiat. Neque igitur quemquam MAIORVM omnium, erectum nobis, superioribus seculis, arbitramur, quando OMNIVM in IOSEPHO virtutem felicitatemque adoramus.

AUGVSTO CAESARI, adhuc puerο, crebro adeo ac familiariter adsueuisse AQVILAS, tradunt, vt COGNATI futuram EIVS potentiam prosperitatemque exinde perspicerent, vt pote cui cum AQVILIS, alitum nobilissimis, ludere, in prima isthac ætate obtigerit. Par AVGVSTO exemplum, si non eo illustrius, in IMPERATORE NOSTRO habemus. Quæ enim in AVLA VINDOBONENSI hodieque aluntur AQVILAE, has IOSEPHVM, tanquam germanæ generositatis adhortatores, & Romanæ fortitudinis symbola, omni tempore circa se habuisse, audiuimus. Quam iucundum præterea visu, quantaque cum omnium admiratione notatum fuisse, putabimus, illam AQVILAM, quæ viuum antehac LEOPOLDVM comes fidelis ac indiuidua sequebatur, imminente iam decretria hora, illico a MAXIMO PARENTE digressam, MAGNI non minus FILII lateri, tanquam

F di-

dignitatis Imperatoriæ virtutisque hæredem
ostenderet, assedisse?

Nulla nos equidem, ex volatu aquilæ, quæ
ethnicorum supersticio erat, auspicia capimus;
sed fallere tamen hæc avis & falli non poterat,
quando iam præsens IOSEPHI gloria demon-
strabat futuram, neque dubia amplius esse po-
terat illius felicitas, cuius res hactenus gestæ in-
credibile fortunæ obsequium habuerunt. Quic-
quid enim difficultatis, aut incumbentis
belli moles, aut inuidentium minæ, aut tem-
poris tristioris incommoda, obiicere posse vi-
debantur, id omne IOSEPHVS, beneficio
DEI, suaque ac suorum prudentia, adeo lætis au-
spiciis superauit, ut in felici adeo IMPERATORE
haud immerito felicitatis nostræ summam po-
namus. Neque est, quod vel a DEO IM-
MORTALI, vel a IOSEPHO CAESARE
expetamus, nisi hoc ipsum, ut, quod fecit fa-
ctique, quodque facturus est, boni publici gra-
tia nunquam facere intermittat! Viuat AV-
GVSTISSIMVS CAESARVM, vt Imperii sub
ipso maiestas augeatur! Viuat DOMINVS
NOSTER, vt suos perpetuo ciues tueatur!
Viuat COMMVNIS OMNIVM PATER, quo vitam
omnibus, & largiatur, et seruet! Viuat, inquam,
IOSEPHVS! Viuat, vt imperet! Imperet
BONVS & FELIX, vt nos etiam bonos
ac felices efficiat!

D I X I.

PROGRAMMA
RECEPTO IN ACADEMIIS MORE PRAEMISSVM
AVCTORE
IOANNE CASPARE POSNERO
ELOQVENTIAE PROFESSORE.

Iicut nemo, quam late patet Germania, tam inhumanus fuit aut
leuis, qui MAGNI ILLIVS LEOPOLDI, CAESARIS BENEFICENTISSIMI
exitum non vehementer doluerit: ita nemo tam tristis deiectus
que in terram cernebatur, qui in IOSEPHI I, NOVI IMPERA-
TORIS auspicio, non solaretur se atque erigeret. Neque obiisse
sic amplius LEOPOLDVS, sed revixisse, in FILIO creditur, earundem
quippe virtutum imaginem exhibente, iisdemque meritis, viam sibi ad di-
gnitatem, quæ omnium est in terris maxima, muniente. A quo enim PA-
RENTE traxerat sanguinem, ab eodem tot admirabiles dotes accepit: quasi
indignum exstimauiſlet natura, qui de virtute non posset, eum de tanti
Herois origine gloriari. Illam igitur quantæcumque molis capacem in-
dolem, illos in ardua queque vigiles, atque acerrimos oculos, illa deni-
que omnia, tam corporis, quam animi ornamenta, quæ præcipuorum si-
derum lucem splendore adæquant, excellenta superant, in IOSEPHO
pariter, ac olim in LEOPOLDO, suspicimus. Atque ex infinitis,
quæ simul se offerunt, dotibus, nunc moderatio animi incredibilis, mox
generoso plena spiritu sapientia, modo feuerati mixta humanitas, iam
cura felicitatis publicæ, quæ secum rapit IOSEPHVM, suumque cum
IPSO decus communicat, sacra quadam nos admiratione imbuit at-
que percellit. Quem tamen ad modum remotiores solis radios e
longinquò adspicimus, eos autem, qui ad viciniora mittuntur, toto
vultu excipimus: ita ingenita NOSTRO, propriaque AVSTRIACIS
fortitudo, cuius vim non barbari faltem atque rebelles intelligunt,
sed Hispani quoque ac Galli pertimescunt, tanto omnes iucundius affi-
cit atque oblectat, quanto nos proprius ad se devocant eius miracula,
quantoque efficacius splendidissima ingentium victoriarum trophyæ ocu-
los nostros præstringunt. Sensit certe LANDAVIVM, Vinci ac expugnari
se posse a CAESARE, quod nullius cedere armis, stolida ac superba inscri-
ptione VAVBANIVS, confectis verbis aggeribus atque aliis munitentis, ia-
cta erat. Quoties quæso vñtrices IOSEPHI aquilas formidantem ho-
ustum aciem? quoties eam terga vertentem, cæsamque ac profligatam audi-
uimus? Neque ita est dubium, quin laureis ac triumphis immortuus, IMPE-
RATORVM MAXIMVS LEOPOLDVS, superesse adhuc in FILIO, ac spi-
rate, inque IPSO debellare exercitus, tueri Germaniam & Hungariam,
recuperare Hispaniam, videatur. Atque summos IMPERATORIS titulos,
sacraque iniperi pignora, cunctorum iam vota ac desideria IOSEPHO
decreuerant, antequam ea obtineret. Aequum enim iudicabatur, ut præ-
cesset aliis, qui non successionis tantummodo iure, sed rebus etiam gestis
ac meritis alios anteiret. Igitur sine difficultate villa, sine mora, contradic-
ente nemine, concordibus cunctorum suffragiis, statim creatus est: ut
creatio argumentum fuerit maiestatis; ex celeritate autem creandi patuerit,

ad

ad seruandam in his bellorum fluctibus imperii nauem, nullam, nisi vnius IOSEPHI prudentiam virtutemque requiri, ipsamque electionem non humano arbitrio, sed cœlesti consilio euenisse. Deum proinde in CAESARE, res ex voto fluentes in Imperio, virtutem in eligentibus, cuncti agnoscunt, religiosisque passim vocibus profitentur. Multi, ex salutari IOSEPHI nomine, lœta quæque ac prospera ominantur. Alii ex cognato AVGUSTI, Imperatoris pacifери, cognomento, turbatam ab hostibus in imperio pacem, reconciliandam ab hoc IMPERATORE, posterioritate firmandam, coniiciunt. Sunt, qui familiariter adsucentes adolescenti olim IOSEPHO aquilas, in dignitatis atque prosperitatis perpetuae omen conuertunt. Ceterum vniuersi, eum optime imperaturum, confidunt, qui iis, a quibus genitus, optime quandam paruerit. Neque vlli est dubium, supremum honoris fastigium obtenturam in IOSEPHO rem publicam, cuius gloria vix habet amplius, quo ascendat. Tacemus in præsenti illorum auguria, qui, quod quinquagenarium IMPERATORVM numerum primus transgreditur IOSEPHVS, vniuerso imperio aliquid iubilao amplius sub eo promittunt. Merito autem nostra Germania, in qua IPSE genitrosum hauc spiritum hausit, quam primum virtutis ac sapientiae theatrum fortius est, ex qua denique Serenissimam vitæ auctori SOCIA M sibi delegit, præter gaudium, pietatisque studium, quod toti fere Europæ communue est, precipuo quodam voluptatis religionisque sensu afficitur. ILLI igitur fruges suas ac opes, ILLI incolarum vitam ac sanguinem, ILLI suorum, quæ nutrit, ingeniorum operas deuouere exoptat. Et maioris quidem solertia opera, debitaque æternitati monumenta, alii ad AVGUSTISSIMI CAESARIS pedes deponent. Qui ad proximam IOVIS DIEM, HORA ANTE MERIDIEM IX, in TEMPLI ACADEMICI cathedralm proditur est, FLORENTIASSIMVS IVVENIS, CAROLVS SIGISMUNDVS ROSTIVS, NORIMBERGENSIS, satis habebit, si suo impressam animo, pietatis atque hilaritatis publicæ vim, oratione humili ac deuota profiteri licebit. Ad quam audiendam, SERENISSIMVS PRINCEPS SAXO-VINARIENSIS, PRO-RECTOR MAGNIFICVS, ILLVSTRISSIMI COMITES, PROCERES AVLAE ATQUE ACADEMIAE EXCELLENTISSIMI, VENERABILES SACRORVM ANTI-STITES, & quicunque ex omni ordine literas apud nos amant ac ornant, inæstimabilibus IMPERATORIS NOSTRI meritis, maximisque post homines natos virtutibus, haud grauatim adduci se patientur. P.P. IN ACADEMIA LEONENSI, DOMINICA XII POST TRINIT.

A. O. R. CICCI

CAN-

CANTATE
So vor gehaltener ORATION
 Auff die
Ehormündigste angetretene Regierung
 Des
Allerdurchlauchtigsten
I O S E P H I
ist musiciret worden/

Das Reich.

Erthönt ihr Trompeten mit Pauken zur Seiten/
Und lasset euch allerhand Stimmen begleiten!
Wiewohl gemach! ist nicht die Lust
Durch **LUDWIG ESS** Todt
in Flor und Boy verhüllt?
Wehts aber / daß man VIVAT rufst/
Wenn alle Welt Begräbnish- Oden brülltet?
Noch fasse dich/ bestürkter Geist!
Was? Schaust du nicht die neue Sonne prahlen/
Wie ieder Blitz der goldnen Strahlen
Der Lustige Trauer-Kleid in tausend Stücke reißt?
Fort! fort! was ängstlich heist!
Erthönt ihr Trompeten mit Pauken zur Seiten /
Und lasset euch allerhand Stimmen begleiten !

Du Götter **HOZ**! auff dessen schwächsten Tritt
Des grossen Ludwigs Krone zittert!
Was bringt dein Regiment
Vor Fruchtbarkeit der matten Erde mit
Seit jener Blitz des Todes ausgewittert!

G

Es

Es lasset unser kleinestes Kind
Was fremder Herz vor Freuden-Tacte schläget.
Ets Wunder/das sich auch mein Kind/dein Slave/reget/
Den **WADSEPBHS** Mänsertum mit sanftesten Ket-
ten bindt?

ARIA.

I.

Stumme Todten-Grüffte! schreyet/
Weil der Rachen / Fleisch her! spricht.
Was euch fülltet
Das verhülltet
Unser Freuden-Ansitz nicht.
Stumme Todten-Grüffte! schreyet/
Weil der Rachen / Fleisch her! spricht.

II.

Schaut! es bleibt stets was lebend/
Welches euer Toben lacht!
Weil der Seegen
Unsert wegen
ÖSTERREICH zum Wunder macht.
Schaut es bleibt stets was lebend/
Welches euer Toben lacht!

Ungarn und Böhmen.

Ach! wie geschiehet uns!

Welch Schwert zerstücket Herz und Nieren!
Soll unser Land des Königs Haupt verlieren?

Ungarn.

Eh verderbe!

Böhmen.

Und ich sterbe!

Ungarn.

Meine Glieder / meine Seele,

Böhmen.

Müssen in die Todten-Höhle!

Böhmen.

Meine Seele / meine Glieder /

Legen sich zum sterben nieder!

ARIA.

Ergießt euch ihr halb gebrochnen Augen!
Eh gar der Todt den morschen Kumpff zerbreicht.
Denn wenn die Sonnen dieser Erden
Von ihrem Volk entrißn werden/
So nutzen die Planeten nicht.
Was kann nun mehr an unsern Ländern taugen?
Ergießt euch ihr halb gebrochnen Augen.

Das

Das Reich.

Wer will weinen? Wer will sterben?
Wer reist euch euren **OSEPH** hin?
Denkt ihr/das ich ein solcher Räuber bin?
Es dienet auch zu eurem Wohlgedeyen /
Das **OSEPH** Königs-Haupt ein Rägser-Reich um-
schlingt.

Warum? Je höher sich die Sonnen-Kugel schwingt,
Je stärker kan ihr Licht erhitze Strahlen streuen.
Drum weg mit Zagen!

Beg mit Klagen!
Erhönt ihr Trompeten mit Pauken und Seiten /
Und lasset euch allerhand Stimmen begleiten!

Perr åtherey.

Welch Jubel-thon steht unsren Himmel an?
Wie ist mir? Hört man nicht
Der Gottheit **Aesterreichs** schon wieder Opfer bringen?
Bermaledenter Pöbels-Wahn?
Auff! treue Schaar!
Die Frankreichs Gott mit rundten Lilgen-Blättern
In Herz und Auge sticht!
Macht fort! und rauscht gleich hundert tausend Wettern!

ARIA.

Brüllt ihr Lüffte! kracht ihr Keile!
Gießt/ ihr Wolken/lauter Blut!
Soll nicht unser wildes schnauben
OSEPH Kron und Scepter rauben/
Eh so müste Gifft und Stein
Nicht in Welschlands Klüfften seyn.
Frankreich lausse! Bayern eile!
Lasst den Schwerdern ihre Wuth!
Brüllt ihr Lüffte! kracht ihr Keile!
Gießt/ ihr Wolken/lauter Blut!

Gerechtigkeit.

Weh Höllenbrand! zur ewig-finsteren Nacht!
Wer fragt nach deinen Rasereyen?
Wei jenes Auge nur vor **OSEPHS** Wohlfarth wacht.
So dürfen wir uns nicht für hundert Argis scheuen.

Schau!

EK II, 2.2.12

X 2972668 VD 18

Schau! Ehrper müssen Stussen seyn,
Drauff JOSEPHS Fuß den Kaiser-Thron besteiget.
Der Schwertier Hieb / der Bomben Donner-Stein
Durchwühlet noch die Lusst von Hochstedts Feld-Revieren:
Und beydes ist der Treue Richterbeil/
Noch manchen Streich auff Frankreichs Kopf zu führen.
Was soll Lusst? Wolke? Donnerkeil?

ARIA.

Spield ihr kühlen Sommer-Winde!
Spield fein sanfste um das Feld!
Eh des Feinds Verräthereyen
Durch verfluchten Wunsch gedeyhen/
Sollen selbst die Sternen-Ballen
Mit dem Himmel Erdwerts fallen.
Freut euch Berger! jauchzet Gründe!
Was bey Gott und JOSEPH hält.
Spield ihr kühlen Sommer-Winde!
Spield fein sanfste um das Feld!

Das Reich.

So herrsche denn, Du Allerhöchster Fürst!
Dein Scepter sey ein Schwert mit Palmenzweig umwunden!
Wenn Freund und Feind nach treuen Blute dürst,
So stürz sie in den Mayn und Rhein
Sleich alten Koppel-Hunden!
Las aber uns / dein Lauben-Heer/
Den Schatten-Flug des Deutschen Adlers decken/
Wenn Hahn' und Habichte mit Klau'n und Schnäbeln
Schrecken!
Wohlan! ein ieder schrein/
Dass dieses seine Lösung sey.
Ich sterbe Gott und Joseph treu!

Das ganze Chor.

Ich sterbe Gott und Joseph treu!

83.
ORATIO PANEGYRICA
 Q.V A
 OMNIVM SERENISSIMO, POTENTISSIMO
 INVICTISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO
DOMINO



ELECTO ROMANORVM
IMPERATORI

PIO, FELICI AC SEMPER AVGVSTO

GERMANIAE, HVNGARIAE, BOHEMIAE, DALMATIAE
 CROATIAE, SCLAVONIAE, BVLGARIAE, BOSNIAE
 SERVIAE, ET RASCIAE REGI, ARCHIDVCI AVSTRIAEC
 DVCI BVRGVNDIAE, BRABANTIAE, STYRIAEC
 CARINTHIAE, CARNIOLAE, LYZELBVRGI,
 WIRTEMBERGIAE, VTRIVSQVE SILESIAE, PRINCIP
 SVEVIAE, MARGGRAVIO SACRI ROMANI IMPERII
 BVRGAVIAE IN MORAVIA, VTRIVSQVE LVSATIAE
 PRINCIP COMITI HABSBVRGI, TYROLIS
 PFIRETARVM, KYBVRGI ET GORITIAE, LANDGRA
 VIO ALSATIAE, DOMINO VINIDORMV MARCHIAE
 PORTENAVIAE AC SALINARVM, ET RELIQA

IMPERATORI AC DOMINO SVO
 LONGE CLEMENTISSIMO

DE SVSCEPTIS

SACRI ROMANI IMPERII
FASCIBVS AC HONORIBVS

DIE III CALENDARVM SEPTEMBRS, M DCC
 IN ACADEMIA IENENSI
 DEVOTISSIME DEMISSISSIMOQUE GRATVLABATVR
 CAROLVS SIGISMUNDVS ROSTIVS, NORIMBERGENSIS.

IENAE, LITERIS IOH. DAV. WERTHERI, TTPOGR. DVCAL. SAX.



BIBLIOTHECA
 PONICKAVIANA

CAROLVS SIGISMUNDVS ROSTIVS, NORIMBERGENSIS.